

LA PLACE DE LA BIBLE DANS LES
QUATRE PREMIERS LIVRES DES *CONFESSIONS*

1. *Conf. III, V, 9 : Itaque institui animum intendere in Scripturas sanctas et uidere, quales essent. Et ecce uideo rem non conpertam superbis neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam et uelatam mysteriis, et non eram ego talis, ut intrare in eam possem aut inclinare ceruicem ad eius gressus. Non enim sicut modo loquor, ita sensi, cum adtendi ad illam Scripturam, sed uisa est mihi indigna, quam Tullianae dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius et acies mea non penetrabat interiora eius. Verum tamen illa erat, quae cresceret cum paruulis, sed ego dedignabar esse paruulus et turgidus fastu mihi grandis uidebar.*

2. *Conf. VII, XXI, 27: Itaque audissime arripui uenerabilem stilum Spiritus tui et prae ceteris apostolum Paulum. [cf. Acad. II, II, 5 : Itaque titubans, properans, haesitans arripio apostolum Paulum.]*

3. Jérôme, *ep. 22, 30 : Interrogatus condicionem, Christianum esse respondi. Et ille qui residebat : « Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus ; ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. » [...] Ego qui tanto constrictus articulo uellem etiam maiora promittere, deiurare coepi et nomen eius obtestans dicere : « Domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, te negaui. »*

4. *Conf. VI, IV, 6 : Gaudebam etiam, quod uetera scripta legis et prophetarum iam non illo oculo mihi legenda proponerentur, quo antea uidebantur absurda, cum arguebam tamquam ita sentientes sanctos tuos ; uerum autem non ita sentiebant. Et tamquam regulam diligentissime commendaret, saepe in popularibus sermonibus suis dicentem Ambrosium laetus audiebam : littera occidit, spiritus autem uiuificat (2 Co 3, 6), cum ea, quae ad litteram peruersitatem docere uidebantur, remoto mystico uelamento spiritaliter aperiret, non dicens quod me offenderet, quamuis ea diceret, quae utrum uera essent adhuc ignorarem.*

5. a. *Conf. I, XVII, 27 : Itane aliud non erat, ubi exerceretur ingenium et lingua mea ? Laudes tuae, Domine, laudes tuae per Scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, et non raperetur per inania nugarum turpis praeda uolatilibus.*

b. *Conf. I, XIX, 30 : Humilitatis ergo signum in statura pueritiae, rex noster, probasti, cum aisti : Talium est regnum caelorum (Mt 19, 14).*

c. *Conf. II, II, 3 : Aut certe sonitum nubium tuarum uigilantius aduerterem : Tribulationem autem carnis habebunt huius modi... (1 Co 7, 28) [cf. Conf. IX, X, 25 : sonitum nubis]*

d. *Conf. III, IV, 8 : Manifestatur ibi salutifera illa admonitio Spiritus tui per seruum tuum bonum et pium : [suit Col 2, 8-9].*

e. *Conf. III, VII, 12 : Et quid in nobis esset, secundum quod essemus, et recte in Scriptura diceremur ad imaginem Dei (Gn 1, 27), prorsus ignorabam.*

f. *Conf. IV, III, 4 : Bonum est enim confiteri tibi, Domine, et dicere : Miserere mei : cura animam meam, quoniam peccaui tibi (cf. Ps 91, 2 ; Ps 40, 5), neque ad licentiam peccandi abuti indulgentia tua, sed meminisse dominicae uocis : Ecce sanus factus es ; iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat (cf. Jn 5, 14).*

g. Conf. IV, XI, 16 : *Ecce illa discedunt, ut alia succedant et omnibus suis partibus constet infima uniuersitas. « Numquid ego aliquo discedo ? », ait Verbum Dei. Ibi fige mansionem suam, ibi commenda quidquid inde habes, anima mea, saltem fatigata fallaciis.*

6. Citations et allusions scripturaires

I. Conf.→ ↓ I. bibl.	I	II	III	IV	V-XIII
Gn	5	1	1	3	75
Ex	4	–	–	–	7
Nb	–	–	–	–	2
Dt	2	1	1	1	4
Jos	–	–	1	–	1
2 S	1	–	–	–	1
1 R	–	–	–	–	2
2 R	–	–	–	–	1
Jdt	–	–	–	–	1
Tb	1	–	–	1	2
2 M	–	–	–	1	3
Ps	56	13	21	44	472
Pr	–	–	4	2	14
Qo	1	–	–	–	2
Ct	–	1	–	–	5
Jb	4	2	1	4	11
Sg	–	–	2	1	15
Si	1	4	–	–	23
Mi	–	1	–	–	1
Jl	1	–	–	–	3
Jon	–	–	–	–	1
Ha	–	1	–	–	3
Za	2	–	–	–	–
Ml	1	–	1	–	2
Is	3	2	–	8	25
Jr	9	2	1	1	9
Lm	–	–	1	1	3
Ez	–	–	–	–	7
Dn	–	3	2	–	2

I. Conf.→ ↓ I. bibl.	I	II	III	IV	V-XIII
Mt	7	3	–	7	92
Mc	2	–	1	2	2
Lc	1	1	2	2	28
Jn	3	–	2	11	57
Ac	1	1	2	1	14
Rm	3	3	3	3	67
1 Co	2	2	2	1	72
2 Co	3	1	1	–	25
Ga	–	1	2	–	17
Eph	–	–	–	1	21
Ph	–	–	–	–	24
Col	–	–	1	–	20
1 Th	–	–	–	–	1
2 Th	–	–	–	–	1
1 Tm	–	–	2	1	22
2 Tm	–	–	1	2	7
Tt	–	–	–	–	3
He	–	1	–	–	6
Jc	1	–	2	3	7
1 P	1	–	2	3	4
2 P	–	–	–	–	3
1 Jn	–	–	2	–	11
Jd	–	–	–	–	1
Ap	–	–	–	–	9

7. Conf. III, VII, 11 : *Offendi illam mulierem audacem, inopem prudentiae, aenigma Salomonis, sedentem super sellam in foribus et dicentem : panes occultos libenter edite et aquam dulcemfurtiuam bibite (Pr 9, 17). Quae me seduxit, quia inuenit foris habitantem in oculo carnis meae et talia ruminantem apud me, qualia per illum uorassem.*

8. Conf. III, X, 18 : *Haec ego nesciens inridebam illos sanctos seruos et prophetas tuos.*

9. Conf. III, VII, 14 : *Et reprehendam caecus pios patres non solum, sicut Deus iuberet atque inspiraret, utentes praesentibus uerum quoque, sicut Deus reuelaret, futura praenuntiantes.*

10. Conf. III, IV, 8 : *Et ego illo tempore, scis tu, lumen cordis mei, quoniam nondum mihi haec apostolica nota erant, hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione [...].*

11. Conf. III, VII, 14 : *Haec ego tunc nesciebam et non aduertebam, et feriebant undique ista oculos meos, et non uidebam.*

12. cf. *supra*, n° 4.

13. Conf. III, XII, 21 : *Dedisti ergo alterum per sacerdotem tuum, quendam episcopum nutritum in Ecclesia et exercitatum in libris tuis. Quem cum illa femina rogasset, ut dignaretur mecum conloqui et refellere errores meos et dedocere me mala ac docere bona — faciebat enim hoc, quos forte idoneos inuenisset — noluit ille, prudenter sane, quantum sensi postea.*

14. Conf. I, XVI, 25 : *Sed uae tibi, flumen moris humani ! Quis resistet tibi ? Quandiu non siccaberis ? Quousque uolues Euae filios in mare magnum et formidulosum, quod uix transeunt qui lignum conscenderint ? Nonne ego in te legi et tonantem Iouem et adulterantem ? Et utique non posset haec duo, sed actum est, ut haberet auctoritatem imitandum uerum adulterium lenocinante falso tonitru. Quis autem paenulatorum magistrorum audit aure sobria ex eodem puluere hominem clamantem et dicentem : Fingebat haec Homerus et humana ad deos transferebat ; diuina mallet ad nos ? Sed uerius dicitur, quod fingebat haec quidem ille, sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia flagitia putarentur et ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed caelestes deos uideretur imitatus.*

15. Conf. II, III, 8 : *Ecce cum quibus comitibus iter agebam platearum Babyloniae et uolutabar in caeno eius tamquam in cinnamis et unguentis pretiosis (cf. Ct 4, 14). Et in umbilico eius quo tenacius haererem, calcabat me inimicus inuisibilis et seducebat me, quia ego seductilis eram. Non enim et illa, quae iam de medio Babylonis (Jr 51, 6) fugerat, sed ibat in ceteris eius tardior, mater carnis meae [...].*

16. *psalmus* : VIII, X ; IX, IV ; IX, VII ; IX, XII ; X, XXXIII ; XII, II
psalterium, III, VIII, 16
Dauidicum psalterium : X, XXXIII [cf. aussi IX, XII]

17. Conf. III, VIII, 16 : *Haec sunt capita iniquitatis, quae pullulant principandi et spectandi et sentiendi libidine aut una aut duabus earum aut simul omnibus, et uiuitur male aduersus tria et septem, psalterium decem chordarum, decalogum tuum, Deus altissime et dulcissime.*

18. Conf. I, VI, 10 : *Confiteor tibi, Domine caeli et terrae, laudem dicens tibi de primordiis et infantia mea, quae non memini.*

19. In Ps. 94, 4 : *Non ergo putemus recessisse nos a laude cantici, si hanc confessionem hic intellegimus, qua confitemur peccata nostra: et hoc ad laudem cantici pertinet ; quia cum peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus.*

20. *Conf. I, VII, 12 : Iubes me laudare te in istis et confiteri tibi et psallere nomini tuo, altissime, quia Deus es omnipotens et bonus, etiamsi sola ista fecisses, quae nemo alius potest facere nisi tu, une, a quo est omnis modus, formosissime, qui formas omnia et lege tua ordinas omnia.*

21. *Conf. I, I, 1: Magnus es, Domine, et laudabilis ualde : magna uirtus tua et sapientiae tuae non est numerus (Ps 47, 1 ; 95, 4 ; 144, 3). Et laudare te uult homo, aliqua portio creaturae tuae, et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui et testimonium, quia superbis resistis : et tamen laudare te uult homo, aliqua portio creaturae tuae.*

22. *Conf. I, IV, 4 : Quid est ergo Deus meus ? Quid, rogo, nisi Dominus Deus ? Quis enim Dominus praeter Dominum ? aut quis Deus praeter Deum nostrum ? (Ps 17, 32) Summe, optime, potentissime, omnipotentissime, misericordissime et iustissime, secretissime et praesentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et inconprehensibilis, immutabilis, mutans omnia, numquam nouus, numquam uetus, innouans omnia et in uetustatem perducens superbos et nesciunt (Jb 9, 5).*

23. *Conf. I, V, 6 : Angusta est domus animae meae, quo uenias ad eam [...] Aut cui alteri praeter te clamabo : Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce seruo tuo ? Credo, propter quod et loquor.*

24. *Conf. IX, IV, 8 : Quas tibi, Deus meus, uoces dedi, cum legerem psalmos Dauid, cantica fidelia, sonos pietatis excludentes turgidum spiritum, rudis in germano amore tuo [...] ! Quas tibi uoces dabam in psalmis illis et quomodo in te inflammabar ex eis et accendebar eos recitare, si possem, toto orbi terrarum aduersum tyfum generis humani ! Et tamen toto orbe cantantur, et non est qui se abscondat a calore tuo (Ps 18, 7).*

25. Possidius, *Vita Augustini*, 31, 2 : *Quod et ipse fecit ultima, qua defunctus est, aegritudine ; nam sibi iusserat psalmos dauiticos, qui sunt paucissimi, de paenitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suae infirmitatis intuebatur et legebat, et ubertim ac iugiter flebat.*

Indications bibliographiques

Œuvres de saint Augustin, vol. 13-14 : *Les Confessions*, texte de l'édition de Martin SKUTELLA, introduction et notes par Aimé SOLIGNAC, traduction d'Eugène TRÉHOREL et André BOUISSOU, édition revue et corrigée, Paris, Institut d'études augustiniennes, 1996-1998 (1^e éd. : 1962).

Georg Nicolaus KNAUER, *Psalmenzitate in Augustins Konfessionen*, Göttingen, 1955.

Paul MATTEI, « "Cum agerem annum aetatis undeuicensimum" Augustin, l'*Hortensius* et la Bible en 373 (*Confessions*, III, 4, 7 – 5, 9) », *Vita Latina*, 116, 1989, p. 26-36.

Suzanne POQUE, « Les Psaumes dans les *Confessions* », dans *Saint Augustin et la Bible*, éd. Anne-Marie LA BONNARDIÈRE, Paris, 1986, p. 155-166.

Melchior VERHEIJEN, *Eloquentia pedisequa. Observations sur le style des Confessions de saint Augustin*, Nijmegen, 1949.